The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Fraternitas e

cum fonte primo

Huius primum fundamentum substanciam mundialem in contemptu habere.

Iniustum enim atque impium est,
si post abrenunciatam mundi et omnium que in eo sunt uanitatem,
preciosissime dilectioni fratris suppellex uilissima que superfuit preferatur.
Secundum est ut ita unusquisque resecet suas uoluntates,
ne se sapientem atque consultum esse iudicans suis malit quam fratris diffinitionibus obedire.
Tercium est ut sciat omnia, eciam que utilia ac necessaria estimat,
postponenda bono caritatis et pacis.
Quartum est ut credat nec iustis nec iniustis de causis penitus irascendum.
Quintum est ut aduersus se iracundiam fratris, eciam sine ratione conceptam,
eodem modo quo suam curare desideret,
sciens equaliter sibi perniciosam alterius esse tristiciam, ac si aduersus alium ipse moueatur,
nisi eam quantum in se est de fratris eciam mente depulerit.

Ibidem (in collacionibus patrum et est abbatis Ioseph).

Prima igitur sunt uerae amicitiae in contemptu substantiae mundialis
et omnium quas habemus rerum despectione fundamina.
perquam enim iniustum atque inpium est,
si post abrenuntiatam mundi et omnium quae in eo sunt uanitatem
pretiosissimae fratris dilectioni supellex uilissima quae superfuit praeferatur.
secundum est ut ita unusquisque resecet uoluntates,
ne sapientem atque consultum esse se iudicans suis malit quam proximi definitionibus oboedire.
tercium est ut sciat omnia, etiam quae utilia ac necessaria aestimat,
postponenda bono caritatis et pacis.
quartum ut credat nec iustis nec iniustis de causis penitus irascendum.
quintum ut aduersum se iracundiam fratris etiam sine ratione conceptam
eodem modo quo suam curare desideret,
sciens aequaliter sibi perniciosam alterius esse tristitiam acsi aduersus alium ipse moueatur,
nisi eam, quantum in se est, etiam de fratris mente depulerit.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIIII*., 16.6.1-2 (CSEL 13, M. Petschenig ed., pp.442-3, ll.23-29, 1-9).